

V O T V M

M. JO: BARNABÆ DE LUCA J. C.

REDDITUM

ILLVSTRISSIMIS DD.

PROTECTORIBVS
SANCTI GEORGII

CONFIRMANS ADMISSIONEM

MM. ANGELI DAMASI, & SIMONIS

NORBERTI DE LERCARIIS

AD COLUMNAS LERCARIAS,

ET AMOTIONEM

M. Mariæ Catherinæ

DE NIGRONO

Factas à MM. Columnarum Scribis.

GENUÆ, 1733.

Antonii Scionici,

SUPERIORUM



Ex Typographia

In Vico Fili.

LICENTIA.



q. BELMOSTO LERCARI



q. RUBALDO

q. BELMOSTO

q. UGO

q. GUGLIELMO

q. Grifiotto

q. Botterico

q. Idetto

q. Antonio

q. Martino

q. Domenico

q. Megollo

q. Gotifredo

q. Lucca

q. Bartolameo
ll. 4. 99.

q. Gregorio

q. Novello
ll. 9. 25.

q. Domenico

q. Angelo

*
Dispensentur
per proximio-
rem meum de
Albergo
Lercariorum.

q. Brancaleone

*
Dispensentur
per duos proxi-
miores meos de
Albergo
Lercariorum,
qui sint etatis
18. annorum,
& ab inde supra.

q. Gotifredo

q. Gerolamo

q. Paolo

q. Giamè

q. Gerolamo

q. Brancaleone
ll. 363. 81.

q. Benedetto

q. Angelo

*
Respondeatur de ll. 60.
uni Capellano, & reliqua
dispensentur per duos
proximiores ex linea
masculina magis atti-
nentes ex stirpe ipsius
Testatoris de
Albergo
Lercariorum.

q. Francesco

q. Francesco

q. Giacomo

q. Bernardo

q. Francesco

q. Angelo

q. Diego, Maria

q. Giacomo

Angelo, Simone, Gio: Antonio

q. Ipolita, q. Francesco, Maria Cattarina
Brunelli Negrona

ILLVSTRISSIMI DOMINI.



Onquerebatur M. Maria Catherina filia q. M. Jacobi Lercarii, & Uxor M. Jo: Ambrosii Nigrone de gravaminibus sibi illatis à MM. Scribis Columnarum, eo quia

ipsa amota admitterunt MM. Angelum Damasum, & Simonem Norbertum fratres, & filios q. M. Didaci Lercarii ad Jus percipiendi, & dispensandi proventus Columnarum MM. Bartholomaei, Novelli, & Brancaleonis de Lercariis.

Hoc ideo DD. VV. Illustrissimæ Decreverunt eligendum J. C. relaturum in scriptis quænam essent eorum partes in providendo, eodem munere mihi benignè demandato ex Decretis 21. Junii, & 11. Augusti 1730.

Illo proinde obsequenter suscepto, postquam partes, seu eorum Advocatos pluries audiavi, motiva excitavi, atque resolutiones perpendi unacum tenore dictarum Columnarum, aliisque scripturis mihi communicatis, Divino auxilio humilimè implorato deveni in Sententiam referendi prout (Salva DD. VV. Illustrissimarum Censura) refero **ADMISSIONES DICTORUM MM. FRATRUM ESSE CONFIRMANDAS.**

Resolutioni fundamentum præbuerunt verba dictarum Columnarum, & voluntas eorumdem Fundatorum, qui mandaverunt *proventus dispensari per illos de Albergo Lercariorum*; quæ sanè verba, super extantibus dictis MM. Fratribus, cum nondum conveniant dictæ M. Mariæ Catherinæ non jure dolebat de sua amotione.

Etenim etiamsi Ly Albergo Synonimum esset cum Familia ex *Altograd. conf. 89. nu. 17. lib. 2.* exploratum est, quod vocata Familia cum proprio cognomine, putà Lercaria, veniunt dumtaxat illi, qui nomen familiæ retinent, & sunt apti ad veram agnationem conservandam, ut articulo plenè discussio firmatum fuit à *Rota in Aquilana Capellania 3. Junii 1720. §. finali coram Foscaro*, confirmata coram *Falconerio die 30. Januarii 1722.* eisque relatis idem met *Falconer. decis. 63. num. 8. tit. 16. de fideicom., & decis. 56. nu. 13. tit. 19. de Jur. patron. Em. De Luca de Jure patr. disc. 26. n. 8.* ubi quod in hoc omnes nemine discrepante concordant *Piton. de contr. Patr. alleg. 100. n. 193. ubi id sine difficultate procedere Torre de major. tit. pr. cap. 28. §. 10. num. 267., & 268. fol. 411. Rot. in Romana fideicommissi 17. Martii 1702. coram Muto penes de Comitibus decis. Florent. 98. num. 2. & in alia subsequenti decisione ejusdem confirmatoria nu. 2. decis. 164. num. 5. par. 7. rec. decis. 232. num. 8. par. 19. to. pr. Osasch. decis. 127. nu. 1. Peregr. de fideic. art. 25. num. 47. vers. Sed ultra De Luca de linea legal. art. 25. nu. 2. Rot. apud Calderon. resol. 77. num. 1.*

Fortius quia nomen Albergo non est equivocum prout est alterum Familia plures habens significationes, quarum præcipuas refert *Odd. de prohib. alienat. quest. 8. n. 30. Khinisphil. de fideic. cap. 1. v. 68.*, Sed univocum, & civile est; atque priscis temporibus connotativum aggregationis etiam

diversarum Familiarum, quæ, proprio derelicto, assumebant cognomen alterius Familie cui aggregabantur, ut ex legibus anni 1528. ; & observavit D. Casonus apud Palm. alleg. 46. nu. 78. quem retulerunt, & sequuti sunt M. R. D. Vincentius Lupi in Voto super Columna M. Pomelina Justiniana, MM. RR. DD. Cottardus Maria Garibaldus, & Jo: Baptista de Ferrarlis in alio Voto super Columna M. Cypriani Pallavicini, & novissimè M. Jo: Baptista Perrandus in Voto super Columna M. Antonii Justiniani de Rocca. Quinimò juxta opinionum Scrutatorum antiquitatis in certa parte hujus Civitatis proximas ædes retinebant, cui debent proprii cognominis famam, ad nostra usque tempora in aliquibus deductam.

Hinc eruditissimi Defensores dictæ M. Mariæ Catherine frustra sibi pollicebantur gravaminis probationem demonstrare, ex eo quod fæmina agnata, licet nupta in aliena familia, non amittat jura agnationis & comprehendatur in vocatione illorum defamilia, quamvis vocationem concomitetur ejusdem Familie cognomen, freti auctoritate Gabriel. conf. 195. num. 134. lib. 1. Rovit. conf. 57. nu. 9. lib. 1. Fusar. conf. 143. nu. 23. vers. ultimum est Giovagnon. conf. 39. num. 9. 10. 11. lib. 1. Altograd. conf. 89. num. 40. 83. lib. 2. Andreol. contr. 284. num. 7. & 409. numer. 11. 25. Balduc. ad Ramon. conf. 16. nu. 6. ad 15. Rot. decis. 205. nu. 15. par. 16. decis. 262. par. 2. decis. 518. par. 4. tom. pr. Dunozet. Jun. decis. 46. confirmata in decis. 74. 132. & 160. Rodulphin. allegat. 119. num. 2., qui dictam decis. Dunozet. 46. bene fundatam agnovit, Merlin. decis. 864. n. 22. 23., & decis. 890. nu. 2. Pamphib. decis. 313. n. 1. & seqq. Rot. Lucens. apud Torr. de major. decis. 56. n. 12. 13. Rota in Romana Capellania cor. Ansaldo 3. Junii 1722. apud Fargna de Jure patr. par. 2. can. pr. & 2. cas. 18. num. 20., Carill. decis. 147. Ludovis. decis. 464. nu. 2. 3. 4. Calderon. Resol. 44. n. 2. 3. cum scribentibus in causa

de Proximis, & decis. apud eum; Nullis in facto (ut iidemmet Defensores ajebant) concurrentibus circumstantiis exclusivis fæminæ agnatæ, tunc solummodo repellendæ, vel quando Testatores ita explicitè mandaverunt; vel quando applicari potest præsumpta conformitas statuto fæminarum exclusivo; vel demum quando constat Disponentes voluisse conservationem bonorum in agnatione.

Quamobrem, tametsi pro parte dictorum MM. Fratrum satis esse affirmaretur ad totalem dictorum auctoritatum everisionem, nedum communem usum loquendi in Italia, per quem homines cum de familia, vel ejus conservatione loquuntur non sentiunt de fæminis, prout tanquam de re notoria testantur Gabriel. conf. 132. nu. 44. vers. quod videtur hodie, Torr. var. qq. Tom. pr. tit. 2. q. 20. n. 10. 11. ubi omnibus notissimum esse: Verum, & urgentius alterum peculiarem usum hujus Civitatis, in qua fæminæ agnatæ postquam nuptæ sunt non amplius considerandæ de Albergo Patris, sed de Albergo Viri, in Familia, seu Albergo Viri congregantur, ejusdem insignia assumunt, & Familiam sequuntur etiã quoad jura honorifica, & dispensationes; mihi visum fuit (citra præjudicium dicti usus, cujus testes & optimi Interpretes DD. VV. Illustrissimè esse possunt, nec erat opus Jurisperitorum Consilio) prætensionem M. Mariæ Catherine adversari communem Rotæ Romanæ sententiam, quæ admittit quidem fæminam agnatam venire posse appellatione Familie etiam cum proprio Cognomine, sed in subsidium, & masculis non extantibus, ut videre est in decis. 133. nu. 6. 7. 8. par. 9. tom. 1. quæ emanavit in eadem causa in qua prodierunt dictæ decisiones coram Merlin. in objecto allegatæ ibi --- licet in his dispositivis Fideicommissis perpetuis, & absolutis ordinatis favore descendendum, & agnationis mens Testatoris appareat magis propensa, & proclivior erga masculos, quia isti per se, & descendentes suos masculos possunt perpetuare familiam,

nam, & agnationem; Fæminæ verò non
 possunt nisi temporaliter earum vita duran-
 te: attamen quia proprietas verborum, à
 qua in totum recedi non debet, fæminis
 etiam convenit, sumi debet media quædam,
 & æqua interpretatio, quod hæc proclivior
 Testatoris affectio in hoc juvet masculos, ut
 ipsi in concursu præferantur Fæminis
 quandiu extant; sed masculis deficientibus
 Fæminæ admittantur quasi per posterius,
 & masculis vulgariter substituta &c. &
 Rota hanc opinionem perpetuo tenuit.

Idque procedit quamvis non concurrat rigo-
 rosa contemplatio agnationis, ex qua Fæ-
 minæ regulariter excluduntur, ut decisum
 fuit in dicta causa de Provasiis, sed satis est
 sola vocatio agnatorum *Piton. de contro-
 Patron. alleg. 11. num. 2. ibi -- Communis
 Theorica est, quod ubi aliquo modo licet
 non rigoroso contemplata fuit agnatio, ut
 contigit quando fit mentio Domus, Fami-
 liæ, & Casatæ, tunc masculi per prius,
 Fæminæ autem non nisi in eorum defectu
 succedere debent -- Ubi plures Rotæ deci-
 siones, Eminentissimus De Luca de Fidei-
 com. disc. 128. num. 2. ibi -- Tum quia præ-
 sertim in Rota, & Curia satis hodie ræ-
 ceptum est subgenerali vocabulo descenden-
 tium, seu agnationis, & Progeniei, cessan-
 te concursu masculorum, veniunt etiam Fæ-
 minæ, & in disc. 146. nu. 5. ibi -- adhuc,
 cessante concursu agnatorum, hodie extra
 controversiam est Fæminas venire, cum
 ipsæ quoque agnatæ dicuntur, & de fami-
 lia Rot. coram Crispo decis. 403. num. 4.,
 & coram Muto apud de Comitibus d. decis.
 98. numer. 2. & in subsequenti decisione
 confirmatoria. Inficiari enim non potest
 præmemoratos Institutores dictarum Co-
 lumnarum per dicta verba Civilia ha-
 buisse rationem conservandæ agnationis
*Peregrin. de Fideicom. d. artic. 25. n. 47.
 vers. sed ultra hos Ciarlin. contr. 107. nu.
 79. Gratian. disput. 645. numer. 7. 8. 9.
 Fusar. de substit. qu. 352. n. 9. Decis. 126.
 num. 10. par. 7. & in puncto Alberghi Al-
 tograd. dict. cons. 89. num. 81. lib. 2. nec**

nonet meliùs, & aptiùs conservari agna-
 tionem per masculos, quàm per Fæminas;
 qui illi perpetuo, istæ verò temporaliter,
 earumque tantùm vita durante dictæ con-
 servationi deserviunt *Bottin. de majora-
 tu cap. 18. nu. 19. 20. 21. Rot. decis. 205.
 num. 6. par. 16. Redenssch. cons. 58. nu.
 48. 49. Mans. consul. 100. nu. 14. tom. 9.;*
 Atque etiam illos voluisse dictum jus dis-
 pensandi in agnatione permanere, & con-
 servari, dum solos agnatos ad illud invita-
 runt, ita ut extra agnationem evagari non
 possit, & non agnatus quacumque careat
 vocatione. Qua propter cum duo tantùm
 esse debeant Dispensatores dictorum pro-
 ventuum, & præsens controversia versetur
 inter masculos agnatos, & fæminam agnatã,
 consequens est, quod sicuti dicta M. Maria
 Catherina in qua agnatio declinat ad inte-
 ritum non posset concurrere cum dictis
 MM. Fratribus, in quibus agnatio ipse
 florescit, multominus eos excludere vale-
 bat.

Neque illi prodesse poterant supra recensitæ
 auctoritates pro ea allegatæ; accuratiùs
 enim eisdem ponderatis mihi innotuit plu-
 res ex eis à nostra hypotesi distare; alias
 verò reprobari, seu declarari à dicta deci-
 sione coram Muto apud de Comitibus; &
 alias demum convenire cum supra stabili-
 ta theorica, admittendo fæminas in subsi-
 dium & masculis non extantibus; inter quas
 connumeratur *Pamphil. decis. 313. quam
 communiter à Rota Romana amplexam
 testatur Piton. d. alleg. 11. num. 2.*

Minusque juvabat alia Rotæ Decisio in Ro-
 mana Capellaniæ 25. Novembris 1705.
 coram Ansaldo apud Monacell. in Formu-
 lar. Eccles. Pract. tom. 4. decis. 26., ubi
 in Jure patronatu activo fæmina Senior ob-
 tinuit prælationem cõtra masculũ Infantẽ.
 Ultram quam quod enim eadem Rota co-
 ram Ansaldo in alia posteriori decisione in
 Romana Capellaniæ 28. Junii 1709. &
 quod fæminæ admittit præmissam theori-
 cam, ipsam enim allegat sæpemenoratus
 Piton. in dicto num. 2. in comprobationem

eiusdem communis theoricæ, animadvertēbam in dicta decis. 26. apud Monacell. non fuisse dubitatum quod fæminæ, vel non veniebant appellatione familiæ cum suo Cognomine, ut in num. 24. ibi -- *concurrente huiusmodi pronomine DD. & Sacra Rota in suis casibus consueverunt feminas excludi ab appellatione Seniorum*; Vel solum in subsidium ut in nu. 13. ibi -- *Vel saltem admittenda solum per posterius, & citra concursum masculorum* -- Sed declinatam fuisse in factu conclusionem in num. 14. 15. 16. 17. quia in fæmina aderat qualitas senioritatis, quæ in masculo Infante desiderabatur; & robustius quia in successiva dispositione de dicto Jurepatronatu factu favore Familiæ Durafort non fuerat repetitum eiusdem Familiæ cognomen demonstrativum contemplationis agnationis; & demum quia, ut in n. 25., pro fæmina accedebat observantia practica in ultimo statu. Quarè talibus circumstantiis in nostro casu deficientibus evidens erat inapplicabilitas.

Pari inapplicabilitate laborabat theoricæ Bartol. in l. tutelæ ff. de capit. diminut., quam retulit, & sequutus fuit M. Petrus Augustinus Solarius in Voto reddito super Columna q. M. Jo: Justiniani inter Excellentissimum Jo: Baptistam, & M. Jo: Benedictum Fratres, & M. Paulum Baptistam Justinianos, alique laudati pro parte dictæ M. Mariæ Catherinæ; ex qua arguebatur, quod cum dicta vocatio illorum de Albergo Lercariorum conjunctam habeat qualitatem proximiorum, nomen Civile Albergo deflectere deberet in verbum naturæ, foretque principaliter attendenda qualitas naturalis proximioritatis, qua pollere prætendebatur dictam M. Mariam Catherinam tanquam Sororem M. Francisci Lercarii ultimi gravati, à cuius persona secundum receptiorem sententiam proximitas esset mensuranda.

Cessante enim in dicto nomine Albergo ea ambiguitate, quæ in Familiæ appellatione occurrit, ut probavi in §. Foribus quæ

extranea evadere præmissa Bartoli Theorica. Et si eam admittere libuisset, intervenientibus in dictis MM. Fratribus Lercariis, nedum jisdem juribus sanguinis, & naturæ, quæ in M. Maria Catherina reperiebantur; sed & ulterius potiori prærogativa sexus, & masculinitatis, in qua principaliter agnatio consistit, recurrebat ad exclusionem dictæ M. Mariæ Catherinæ præmemorata Rotæ Romanæ sententia, postponens fæminam cum masculo dimicantem: nec stante dicto concursu, qui, ex præmissis, substantiam vocationis excluderebat, disputandum erat de qualitate proximioritatis; hæc enim tanquam accidens juxta Philosophum stare non potest, nisi substantia præexistat. Ideoque in istis casibus fæminæ etiam proximiores vincuntur à masculis remotioribus Episcopus Rocca disput. 3. num. 21. & disp. 19. num. 40. Calderon. resol. 44. num. 12. Rota in Coordinat. ad Castell. decis. 40. num. 13. Pitton. de contro. Patron. allegat. 77. num. 21. cum pluribus per eos; neque fæminis favere potest privilegium lineæ ingressæ deficiente qualitate masculinitatis, à qua Jus succedendi processit De Luca de fideicom. disc. 34. num. 8. De Rosa consult. 69. num. 69. Rota coram Dunozet. sen. decis. 315. num. 4. Rocca d. disput. 3. num. 21. prout regulariter non habet locum huiusmodi prærogativa non continuante in successoribus illa qualitate, quæ antecessores potiebantur Bottin. de Majorat. cap. 19. num. 11. & in celebri decisione causæ Grimalde apud eundem tractatum num. 24. ubi innumeros refert.

Potissimum quia tale privilegium, cujus obliti non fuerunt diligentissimi Informantes pro M. Maria Catherina, non congruebat Dispositionibus in quibus versabamur; Quia præmemorati Fundatores dictarum Columnarum, posthabita quacumque lineæ consideratione, totum Albergo inspexerunt per modum unius corporis, seu Collegii, & inter omnes de Albergo solu-

solummodo proximiores selegerunt in dicto Jure dispensandi successuros, ut observat De Luca de fideicom. disc. 3. num. 7. & alibi, quem retulit, & sequutus fuit. M. Franciscus Maria Cotius in Voto reddito DD. VV. Illustrissimis anno 1722. die 26. Februarii super Columna M. Brancalesonis Lercarii §. Extranea.

Neque ex quo servandus est gradus attentatione proximatorum; inferri potest etiam attendendam esse lineam. Ex ingenti enim differentia, quæ inter utrumque intercedit patens est æquivocum. Et quemadmodum adhibuerunt verba connotativa gradus, non ommississent demonstrativa qualitatibus linealis, si verè exoptassent fore observandam; prout ordinaverat M. Maria Catherina Justiniana, super cujus Columna consuluit M. Jo. Baptista Follia in Voto reddito DD. VV. Illustrissimis die 16. Septembris anni 1706. etiam allegato pro dicta M. Maria Catherina. Siquidem dicta M. Columnatrix non vocaverat totum Albergum, sed Familiam Justinianam, sed invitatis prius ad jus percipiendi proventus MM. Jo.; & Salvagina Justinianis, voluit in dicto jure eisdem succedere ipsorum descendentes. Ex quibus verbis censuit dictus M. Consultor successione esse linealem; ut ex eodem Voto §. nam præmissis; & propterea dictum Votum erat omnino impertinens.

Nec præsidium sperandum erat ab exemplo M. Mariæ filia q. Excellentissimi Joannis Jacobi de Auria, & Uxor q. Excellentissimi Hieronymi Venerosi admissæ ad Columnam M. Philippi de Auria, dum idem Excellentissimus Hieronymus Suprema Ducali Dignitate fungebatur. Quia dictus M. Philippus ordinaverat dispensationem faciendam per illos, seu illum, qui erunt, seu erit in proximiori gradu ex stirpe prædecessorum ipsius Testatoris de Albergo de Auria; & dubium subesse potuit, utrumly de Albergo referendus esset ad personam M. Philippi, cui erat conterminus; vel ad Dispensatores; relationemque

7
faciendam esse ad Disponentem censuisse videntur MM. Columnarum Scribæ, qui admitterunt dictam M. Mariam tanquam proximiorum dicti M. Philippi nulla de Albergo facta mentione.

Majorem discrepantiam præferēbat aliud exemplum in Columna M. Baptistæ Spinulæ, in qua anno 1721. 2. Januarii rejectum fuit mandatum M. Augustini Spinulæ tentantis repellere M. Mariam Brigidam filiam q. M. Jacobi Spinulæ, & Viduam q. M. Marci Antonii Gentilis in eadem Columna admissam. Ex serie enim vocationum in Columna descriptarum, [quidquid erroneè enunciatum fuerit in ejusdem M. Mariæ Brigidæ admissione] patet, ipsam invenisse, imò habere potuisse suam sedem in postrema classe vocatorum, ubi nullum verbum de Albergo ipsius M. Baptistæ; ex qua omissione sicuti dicta decis. 26. apud Monacell. censuit cessare contemplationem agnationis, ita inefficax erat idemmet exemplum.

At, etiam datâ quacunque applicabilitate relatorum exemplorum, dum fundabantur in nuda auctoritate MM. Scribarum Columnarum licet non spernenda, cedere opus erat dictæ Rotæ Romanæ opinioni, quam omnium Tribunalium Magistram appellavit Paulut. dissert. 88. num. 127.

In cujus sequelam cum processerit M. Julius Spinula de Voto M. Jo. Andreæ Carocci in sententia prolata anno 1712. 13. Februarii in actis Notarii Alexandri Alfonsi ad favorem alterius M. Mariæ Catherinæ filia M. Nicolai Ususmaris irrelevantis erat etiam hoc tertium exemplum; ex processu enim formato coram præfato M. Julio, constat, quod illa comparuit, & obtinuit tanquam unica ex Nobili & antiqua Familia Ususmaris, & unica dictæ Familiæ Gubernatrix electa à Serenissimo Senatu; sic in subsidium nullo masculino ejusdem Familiæ super extante; ultra cæteras alias responsiones adductas contra dictam Decisionem inutiliter hic non congerendas.

Parvi itaque pendendum erat, quod anno 1729. die 2. Maii Illustrissimus & Reverendissimus Magistratus Misericordiae assignaverit pluries memoratae M. Mariae Catherinae lib. 1913. ex proventibus Columnae M. Dominici Lercarii, quae erant erogandae pro victu, & vestitu illorum de Albergo Lercariorum: Ex quo constare asserebatur illam comprehendi in vocatione illorum de Albergo Lercariorum, & quidem per rem judicatam afficientem dictos MM. Fratres, qui citati, & auditi fuerunt à dicto Illustrissimo & Reverendissimo Tribunali. Tum quia verba Decreti demonstrant dictam assignationem factam potius fuisse in causam Subsidiæ Dotalis, cujus fuisse capacem eadem M. Mariam Catherinam non dubitabatur ibi -- *da non puoteri però scuodere, che prima essa M. Maria Catterina non rinonciò legitimamente in atti di questa Cancellaria alla pretesione, che hà d'essere sofragata per Dote in questa Colonna* -- Tum etiam quia à jure passivo recipiendi subsidia, non valet illatio ad jus activum dispensandi; ea inter alias diversitatis ratione, quod Jus passivum non praefert regulariter conservationem agnationis, sed potius pietatem *Piton. de contr. Patr. allegat. 80. n. 16. vers. Neque in fin.*, nec coercetur intra determinatum numerum personarum, neque consilium, aut prudentiam requirit, prout importat, restringitur, & exigit Jus activum dispensandi. Qua stante diversitate, deficiente uno ex essentialibus requisitis de quibus in vulgata *l. cum queritur ff. de re judicat.* nulla rei judicate exceptio obstabat; minusque sufficiens probatio afferebatur praetensae vocationis in jure activo dispensandi ad masculorum exclusionem.

Non dissimili vitio inficiebantur omnes aliae admissiones obstante per eandem M. Mariam Catherinam ad alias Columnas, & Dispensationes institutas per Inclytos Viros Nobilissimae Familiae Lercariae. Nam quoad admissiones ad subsidia, & dispen-

sationes jam ex praemissis constat non valere ab illis argumentum ad jus dispensandi. Quo verò ad idemmet jus dispensandi, sive admissiones in jure dispensandi (omisso quod à pluribus fuit repulsa, & quod comparuit tamquam unica de Albergo, quo supposito corruente corruere necesse est) ad eorum infirmitatem agnoscendam satis est, non fuisse discussum quod modò examinatur, & quod nulla in Jure dispensandi exarserit vera controversia inter feminam, & agnatum masculum; Impossibile enim est Judicem definire ea, quae coram illo non proponuntur, & discutiuntur *Staiham. resol. 35. nu. 22. 23. 24. tom. prim. Sess. decis. 187. num. 80. 81.*, neque praesuppositum etiam necessarium Sententiae rem facit judicatam, nisi de plena ejusdem praesuppositi discussione edoctum fuerit *Silgad. in Labyr. part. 3. cap. 1. numer. 98. & de reg. Protect. part. 4. cap. 9. nu. 34. & seqq. Noguero. alleg. 18. nu. 11.*

Alterum resolutionis fundamentum constitui in qualitate ipsius met Juris dispensandi, in quo masculos tamquam sanioris Judicii feminis praefereudos esse censuerunt *MM. Bartholomeus de Turri, & Jo: Baptista Calizanus in Voto reddito DD. VV. Illustrissimis anno 1657. 20. Maii in Columna M. Pelegri Rebuffi §. Quod vero.*

Quorum auctoritas declinari inutiliter tenebatur ex eo quod consuluerint in casu, in quo expressa dicti M. Pelegri voluntas idoneitatem in Dispensatoribus requisiverat; Egregii enim Consultores demonstrando per apertos textus in *l. fin. de fide. Instrum. & in l. in multis ff. de stat. homin.* talem voluntatem fuisse Juri conformem aperuerunt veritatem conclusionis pro cæteris aliis casibus, in quibus si non legeretur expressa, non deesset praesumpta voluntas resultans ex Juris dispositione ratione subjectae materiae, exigentis consilium, & prudentiam, in qua regulariter masculi feminas antecellunt *Lara de Anniver. & Capellan. lib. 5. cap. 5. nu.*

84. 85. 86. illarum enim Consilium fragile, & infirmum est eruditissimus Tiracqueti. ad ll. Conub. Gl. 5. par. 1. nu. 71. & seqq.; censendumque est ad prudentiam respectum habuisse Testatores in Dispensatorum electione Bottin. de majore natu. cap. 55. nu. 18. & post eum M. Cotius in Voto superius relato §. Extraneæ.

Proinde citatus Lara in compend. vit. homin. cap. 30. num. 67. movit, quod quoties eligendi sunt aliqui de Domo, & Familia ii esse debent masculi, & non feminae, quia masculinum genus feminino est longè præstantius; Ideoque rectus ordo requirit, ut illud isto præferatur ut ex Philosopho post Decian. cons. 78. num. 19. vol. 3. Mansic. de conject. ult. volunt. lib. 8. tit. 18. nu. 4. observat Raynos. obser. 14. num. 20. addens in numer. 22. id esse juri Divino conforme, cum quo transeunt Molin. de primog. Hispan. lib. 3. cap. 4. numer. 1. 2. 4. Roxas. de incompatib. par. 3. cap. 4. n. 4.

Ex his sequitur, quod quamvis feminae à dispensandi munere non arceantur, tamen etiam secundum hujus Civitatis consuetudinem locum cedunt masculis prout testantur dicti MM. de Turri, & Calizanus in Voto jam relato §. Non respondetur, & cum eis M. Petrus Joannes de Turri in alio Voto impresso apud Præsidentem de Torre de majorat. tom. prim. cap. 38. §. 12. num. 34. fol. 417. Neque id negavit alter ex MM. Informantibus pro M. Maria Catherina in allegatione incipiente Vocatis proximioribus §. Et ad effectum ibi. — Et licet agatur de officio distributionis masculi erant præferendi, cæteris paribus. — Quamvis studuerit evitare applicationem ex prætenso privilegio lineæ, & majoris ætatis, quod satis extraneum demonstravi. Quidquid esset si ageretur de jure utili, & passivo, in quo foret succedendum secundum regulas Juris Communis, quod per Text. in l. Maximum vitium C. de liber. præter. substulit quidem quoad successiones sexus differentiam, ad hoc ut masculi, & feminae æquales partes sortirentur,

9
in quibus terminis procedunt Rota coram Crispo decis. 270. num. 2. coram Molines decis. 738. num. 1., & decis. 746. nu. 1., alique laudati per M. Informantem pro M. Maria Catherina: In cæteris verò que non deferuntur Jure hereditario antiquam sexus differentiam non immutavit; neque eodem Jure antiquo concessam masculis prælationem delevit Franciscus Velasch. in Joanne 2. par. punct. 1. §. 7. num. 13. fol. 285. Unde videmus, quod ubi plures non admittuntur successores, sed unus tantum, prout in Primogenituris, masculo, & femina in æquali gradu constitutis ille isti præfertur Molin. de primogen. lib. 3. cap. 4. num. 14. alique DD. communiter.

Non esset omittenda resolutio alterius objecti in prima allegatione pro dicta M. Maria Catherina mihi presentata excitati adversus legitimationem persone dictorum MM. Fratrum: verum quia nulla in eo major facta fuit insistentia, eadem M. Maria Catherina jam admisit in socium dispensatorem dictum M. Didaci eorundem Patrem, alięque facti circumstantię deductę fuerunt satis eorum legitimationem comprobantes, longiori tedio afficere non debeo DD. VV. Illustrissimas pro illius resolutione.

Æqualis infirmitatis agnovi aliud objectum desumptum à decis. 731. num. 15. coram Molines ex qua asserbatur, quod cum dicti MM. Fratres non comparuerint tempore admissionis dictæ M. Marię Catherinę habendi nunc non essent in consideratione; Nedum quia satis famigerata clausula Donec aliter præservavit quodcumq; illorum præjudicium juxta Votum M. Petri Augustini Solarii redditum DD. VV. Illustrissimis anno 1703. 23. Aprilis super Columna M. Nicolai Grimaldi §. Nec ad rem; Sed etiam quia dicta decisio habet locum in iis, qui de tempore aperte successionis non sunt in rerum natura, & postmodum nati sunt, qui non possunt anterre Jus semel quæsitum possessori de tempore aperte

aperte successione habenti qualitates omnes à Fideicomittente requisitas, absque eo quod tunc ullus alius adesset legitimus Successor, ut deprehendi potest *ex decis. 232. num. 32. par. 19. à dicta decisione coram Molines* allegata in comprobationem dictæ Conclusionis, ideoque secundum eam intelligendam ex vulgatis.

Absoluto examine exceptionum excitarum adversus dictos MM. Fratres, ut arcerentur à jure percipiendi, & dispensandi proventus omnium dictarum Columnarum, levissimi momenti agnovi peculiare respicientes Columnam dicti M. Bartholomæi, ac etiam alteram M. Brancaloni.

Quoad primam, cum in Cartulario anni 1409. scripta legeretur *Fideicommissaria testamenti, & ultimæ voluntatis q. Bartholomæi Lercarii*, & in recentioribus Cartulariis *Fideicommissarii &c.* pretendebatur, malè fuisse suppositum dispensationem fuisse demandatum duobus proximioribus propinquis, sed Fideicommissariis deberi; neque ab ea amoveri potuisse M. Mariam Catherinam electam in fideicommissariam ab Illustrissimo Magistratu Extraordinariorum: juncta maximè lege fundamentali hujus Illustrissimæ Domus præcipiente pecunias solvi illi super quem scriptæ sunt, seu hæredi, aut Procuratori; Cui quidem legi per quascumq; erroneas admissiones, nunquam posse derogari juxta *Votum M. Petri Augustini Solarii superius memoratam in Columna M. Joannis Justiniani, & M. Joannis Andrea Carocii in Columna M. Salvagine Gentilis reddito anno 1718. 26. Februarii &c.*

Sed non meliori fato etiam hujusmodi oppositio minus habens inventa fuit. Nemo etenim unquam dubitavit dictam legem hujus Illustrissimæ Domus omnino servandam, erroresque corrigendos & non imitandos; & propterea non contendebatur jus percipiendi, & dispensandi proventus dictæ Columnæ collatum fuisse usq; à principio in fideicommissarios dicti

q. M. Bartholomæi, sed quæstio erat, qui nam nunc essent isti Fideicommissarii, seu qui loco primorum Fideicommissariorum successerint, & nunc esse deberent; num scilicet quos elegisset præfatus Illustrissimus Magistratus Extraordinariorum, vel proximiores de dicto Albergo Lercariorum. Postquam autem, combustis tabulis testamenti ejusdem q. M. Bartholomæi scriptis manu Therami de Majolo anno 1466. 30. Januarii, ac etiam primis Cartulariis in quibus extensa legebatur ejusdem Columnantis voluntas, fas non erat eam inspicere in successivis Cartulariis in quibus translata non fuerat, observantia subsequuta (quam stare loco Instrumenti foundationis dixit *Pitton. discept. Eccles. 26. num. 5. vers. Cumque hujusmodi, & cum eo Tondat. quæst. benef. par. 3. cap. 157. num. 42.*) sublato dubio, apertè demonstraverat fuisse proximiores propinquos de Albergo Lercariorum, non verò electos ab Illustrissimo Magistratu Extraordinariorum: Ex mandatis enim præsentatis pro habenda admissione ad dictam Columnam, & præcipue ex eo anni 1483. die 19. Julii in actis Notarii Bagnariæ non longè distanti à tempore conditi Testamenti, in quo idemmet Testamentum refertur, constitit loco primorum Fideicommissariorum admittendos, prout fuerunt admissi, proximiores attinentes Lercarii pro observatione testamentariæ dispositionis sæpe memorati M. Bartholomæi, affirmando ita ab ipsa Columna percipi. Certi siquidem juris est consimiles enunciativas cum observantia subsequuta præbere in antiquis sufficientem voluntatis probationem *Ramon. cons. 37. num. 217. Tristanus decis. 39. num. 12. Menoch. de præsumpt. lib. 3. præsumpt. 133. num. 25. Gratian. discept. 468. nu. 6.*, prout etiam retulit Illustrissimo & Reverendis. Magistratui Misericordiæ M. Matheus Gaetanus Mulphinus in *Voto reddito anno 1730. die 30. Novembris inter homines S. Costardi Villæ Bisamnis, & DD. Digberios. Vali-*

Validius quia MM. Columnarum Scribæ, qui si memoratę legi non obtemperant emendare tenentur propriis expensis inobservantiam, & proinde quandoque usque ad superstitionem observantiam requirunt, non devenissent prout devenerunt ad mandatorum admissionem, si oculis corporeis talem voluntatem M. Bartholomei non legissent. Quare admissio propinquorum non habet resistantem litteram Columnę, in qua non legitur, quod Fideicommissarii eligi debeant ab Illustrissimo Magistratum Extraordinariorum, sed habet assitentem observantiam explicativam, & demonstrativam hujusmodi munus collatum in propinquos, eosque modò esse Fideicommissarios M. Bartholomei; atque etiã suppletent ommissionem translationis integrę Columnę ab antiquis insuccessiva Cartularia: Ireperat enim prisca etate abusus integras Columnas non transcribere, & patet ex legibus hujus Illustrissimę Domus, quę ut obviarent dissidiis ex dicta ommissione fortasse jam obventis, & in posterum eventuris in lib. 2. cap. 15. num. 901. perfectam, & plenam transcriptionem mandaverunt. Non minori facilitate dissolutum fuit alterum objectam circa Columnam M. Brancalensis, in cujus proventuum perceptione, & dispensatione supponebatur præter proximiores interveniendos duo antiquiores, prout ille mandaverat completo multiplico locorum 400. Ideoque [ajebant Informantes pro M. Maria Catherina] dicto multiplico per derogationem Serenissimi Senatus jamdiũ completo non erat M. Marię Catherinę denegandus locus inter duo Antiquiores præoccupatis sedibus Proximiorum per dictos MM. Fratres.

Quandoquidem ceteris aliis responsionibus ommissis, nondum verificato supposito multiplici complemento objectum in factò corruebat: Quia licet M. Franciscus Lercarius frater dictę M. Marię Catherinę postulaverit à Serenissimo Senatu declarati per derogationem multiplicum completum, Excellentissimi tamen Residentes in Regali Palatio Commissionati ad referendum super præcibus dicti M. Francisci in sua relatione, & Sereniss. Senatus in Decreto eidem relationi correlativo, non annuerunt requisitę derogationi quoad multiplici complementum: Sed derogatione limitata in eo quod proventus multiplicandi possent à d. M. Francisco in proprios usus pro majori parte converti, voluit (tametsi segnius) multiplicum locorum quatuorcentum omnino perfici, jussitque quolibet anno emi locum unum quousque numerus locorum quatuorcentum impleteretur. Si itaque longius abest numerus dictorum locorum quatuorcentum in Columna, nondum venit tempus super addendi proximioribus duo antiquiores, nec M. Maria Catherina locum inter Antiquiores requisitum poterat obtinere.

Ex his censui constare de optimo jure dictorum MM. Fratrum, neque eisdem obesse posse quam plures alias auctoritates, quæ ultra præmissas adductæ fuerunt pro dicta M. Maria Catherina tanquam nimium disparatas à circumstantiis casus in quo versamur, salva semper saniori censura DD. VV. Illustrissimarum quibus præmissa omnia, meque ipsum submitto.

DD. VV. Illustrissimarum.

E Studio meo hac die 28. Novembris 1732.

Servus Obsequentissimus
 Ioannes Barnabas De Luca I. C. & Consultor.

1733. a 10. Giugno.

Proposto dall' Illustrissimo Signore Priore, chi sia di parere di approvare il Voto del detto M. Barnaba de Luca Consultore, presentato nella presente Caosa: Latis calculis in Præfato Illustrissimo Magistratu; Propositio approbata remansit omnibus favorabiliter concurrentibus, visa admonitione cadente.

Franciscus Maria.

Joannes Barnabas De Luca I. C. & Consultor.